



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 15. Japonum Legati ad Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI
A. C. 1585.

„gnitates, regnorumque accessiones
„posthabeo, neque tamen recuso, quin
„melius instructus Religionem mutem,
„hinc de re hac omni, prout semper an-
„tea protestatus sum, liberi Concilii de-
„creto me submitto: porro quod ad re-
„stitutionem urbium, quas securitatis
„gratia detineo, attinet, adeo non
„illæ in hoc statu rerum repeti pote-
„runt, ut nunc, si protestantes novas
„ad securitatem contra tot bellicos tur-
„bulentorum hominum apparatus pete-
„rent, æquum postulare viderentur: de-
„nique haud justum fore arbitror, ut
„Protostanticæ Religionis exercitium
„ad tempus suspendatur, nec id ad Re-
„gni pacem pertinere videtur; nam
„altiores ea radices in Gallia egit, quam
„ut id, quod Regum, & edictorum præ-
„cedentium beneficio crevit, edicto per
„vim a Rege extorto tam subito evelli
„queat. „

Accepto hoc responso Deputati ex-
eunte Mense Augusto secesserunt.

§. XV.

Japonum Legati ad Papam.

Thuan. l. 81. Vix hi tumultus in Francia exorieban-
Annal. tur, cum Romam celebris adhuc
Greg. l. 15. Legatio ex Japonia a Bungi, ac Ari-
Ciacon. t. 4. mæ Regibus, necnon ab Omuræ Prin-
pag. 11. cipe eo fine decreta veniret, ut hi
Reges

Reges summi Pontificis auctoritatem agnoscerent: erant autem hi Legati sequentes. I. Mancius Fiungæ Regis Nepos. II. Michael Cingiva Arimæ Regis Patruelis frater. III. Duo juvenes Nobilitate primarii Julianus Namura, & Martinus Fava. Hi una omnes die vigesima Februarii Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo secundo ex Japonia Lusitano navigio vecti intra septendecim dierum spatium ad Macaonam Sinarum Insulam appulerunt, ubi novem menses frustra commorati navium, quæ in Europam tenderent, commoditatem præstolabantur, spe autem sua frustrati, tandem eandem, qua venerant, repetunt navem, quam duo navigia oneraria longe majora omni genere pretiosarum mercium plena comitabantur: anno autem sequenti ad exitum Mensis Februarii Malacam appulsi, tandem post Paschale festum Menapari celebratum terrestri itinere Conchinum venerunt ineunte Aprili, ubi totum eum annum commorati, appetente vere sequentis anni Goam petebant, ubi Pater Valinanus Societatis Jesu Visitator in Japonia, qui se iis individuum comitem præbebat, subsistere jussus illos aliis Jesuitis Japonici idiomatis gnaris committebat, quibuscum Legati Cascajum,

Sæcul. XVI.
A. C. 1585.

Sæcul. XVI.
A.C. 1585. quod est Ulissiponæ portus, incolumes appulerunt, dein vero perhonorifice in civitate ab Alberto Aufriaco Cardinale Regni Præsidente excipiebantur, atque terrestri itinere Madritum ad Philippum II. exeunte Octobri ambo introducebantur, ubi usque ad sextas Calendas Decembris commorati sunt, ab universa Regis aula cum summa magnificentia excepti,

§. XVI.

*Legati Romam venientes, atque ad
alloquium Pontificis admissi.*

*Victorel.
apud Ciac.
pag. II.
Mucantius
tom. 2. Diar.*

Impetrata dein a Rege Catholico abeundi copia Florentiam concesserunt, ubi Franciscum Medicæum Magnum Etruriæ Ducem honorifice salutantes inde Romam contendebant, urbemque hoc anno vigesima secunda Martii die post trium annorum, uniusque Mensis navigationem solemnî pompa ingrediebantur. Assignabatur eis diversorium in Collegio Romano nuper Jesuitis a Papa tradito: altera autem die ad summi Pontificis alloquium admissi pro more præsentibus cunctis ferme Cardinalibus, ac Procerum, Præfulumque quamplurimis Sanctitatis suæ pedes reverenter osculo honorabant, ac postea eidem suas literas Italice redditas tradebant, quæ demum publice prælegebantur.

§. XVII.